B.17
3.130
17
CF004469236

B. 17
3
130
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

Digitized by Google

n.º XIV

VARIÆ ORATIONES

HABITÆ A

DOMINICO VALENTINI

In Senenſi Univerſitate

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE

AD QUORUMDAM JUVENUM

COMMENDATIONEM,

Cùm Magiſterii Dignitatem acciperent.

LUCÆ, MDCCXXXVII.

Typis Salvatoris et Joannis Dominici Marescandoli,

Superiorum Licentia.

Digitized by Google

12. [illegible] 1930

B° 17. 3. 130. 17

Digitized by Google

I.

QUidnam eſſe cauſæ putemus , Patres Ampliſſimi, quòd ea Theologiæ pars , quæ moralis vulgò appellatur , ſine honore , ſine exiſtimatione , ſine pretio neglecta jaceat ; cùm tamen altera parte , quæ Fidei Dogmata contemplatur , longè ſit excellentior , ac difficilior ? Quid enim nobilius, quid præſtantius ea Diſciplina poteſt excogitari , quæ omnium benefactorum eſt quaſi parens , & procreatrix , ac ſolertiſſima vitiorum omnium expultrix : Quæ communibus humani generis commodis mirificè prospicit : Quæ ſecuram , tranquillamque vitam hominibus parit , eosque arctè cum Deo , atque inter ſe mutuis officiis conjungit : Quæ denique tutiſſimam ad æternam beatitudinem Semitam ſternit . Huc unicè ſpectavit Sapientiſſimus rerum omnium Creator , cùm Sanctiſſimam nobis Religionem conſtituit : Huc unicè ſpectant ea etiam Dogmata , quæ ſpeculativa dicuntur . Etenim quæcumque Deus tum Veteri , tum Novo Teſtamento nobis credenda propoſuit non ad noſtram curioſitatem fovendam , non ad humanum ingenium ſubtilibus , ſterilibusque contemplationibus exercendum ; ſed ad corruptos hominum mores corrigendos, pravarumque cupiditatum impetus refrænandos , ad virtutis amorem ingenerandum , ad vitia radicitus extirpanda potiſſimè referuntur . Cùm enim, verbi cauſa, Deum eſſe credimus,

Digitized by Google

Mundumque ab ipſo ex nihilo fuiſſe productum, atque omni tempore Sapientiſſimè adminiſtrari; ab impio falſorum Numinum cultu, ac deteſtandis Ethnicorum Superſtitionibus longiſſime removemur. Cùm funeſtiſſimam aquarum inundationem, quæ propter hominum ſcelera univerſum terrarum Orbem communi naufragio ſubmerſit, cùm terribilem illum, horrendumque diem, quo juſtiſſimus Judex omne Genus humanum vel formidandis Inferorum ſuppliciis, vel ſempiternæ Cœlorum felicitati pro cujusque meritis deſtinabit, ad criminum deteſtationem, bonarumque actionum amorem accendimur. Cùm Unigenitum Dei Filium arctiſſimo vinculo humanæ Naturæ conjunctum pretioſi Sanguinis effuſione flagitia noſtra expiaſſe intelligimus, nobisque æternæ Beatitudinis aditum aperuiſſe, infinitam amantiſſimi Patris miſericordiam, atque juſtitiam admirabili fœdere inter ſe copulatas cognoſcimus, quæ ſit peccatorum atrocitas, quantopere Deus illa deteſtetur, quæ ſit Divinatum Legum authoritas, & excellentia, quæ illis obtemperandi neceſſitas, manifeſtè deprehendimus. Omnia denique Fidei Catholicæ Dogmata, ſi attento animo ſingula perpendantur, vel humanam infirmitatem oſtendunt, vel ad Divinum auxilium implorandum nos provocant, vel ad certam, firmamque ejus expectationem nos erigunt, vel charitatem erga Deum, atque Homines excitant, vel criminum deformitatem mentibus noſtris objiciunt, vel Juſtitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, cæterarumque virtutum pulchritudinem, ac præſtantiam commendant, & univerſa ſimul mirabili quodam conſenſu ad Hominem in officio continendum conſpirant.

Jam verò ut aliqua de moralis Theologiæ difficultate leviter attingamus, cùm omnes Chriſtianæ Religionis Articuli, qui Speculativi appellantur, non admodum multi ſint, & Authoritate Eccleſiaſtica definiti, facilè eſt eos in Catechiſmis ab Apoſtolica Sede probatis preſſè, diſtinctèque deſcriptos invenire. Quæ verò ab Eccleſia definita non ſunt, quamvis ad ingenii acumen exercendum, & eruditionem magnificè oſtentandam plurimum valeant, minimè tamen ad veri Chriſtiani Perſonam tuendam, æternamque Beatitudinem adipiſcendum ſunt neceſſaria. Dummodo enim, exempli cauſa,

ſa,

ſa, credamus; Mundum Divina Virtute fuiſſe creatum; univerſum Genus humanum, præter Noachi Familiam, aquarum molibus olim fuiſſe ſubmerſum; Æternum Dei Verbum humanæ Naturæ conjunctum ſcelerum noſtrorum pœnas infami morte ſolviſſe; Rebelles perditorum hominum Animas ſempiternis ſuppliciis cruciari, parvi refert cognoſcere, num omnia ſimul Deus produxerit, ut Origenes, & Auguſtinus, an ſex dierum ſpatio, ut cæteri Patres exiſtimarunt: Num aquæ univerſalis Diluvii ex Cometæ cujusdam atmosphæra profluxerint, ut Whiſtonus, an ſubſidente telluris extima cruſta compreſſæ, ex intimis ejus medullis eruperint, ut Burnetus putavit: Num Chriſti Corpus vilem, ac deformem adſpectum haberet, ut Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Origenes, ac Tertullianus, an egregiâ pulchritudinis elegantiâ commendaretur, ut Damaſcenus, & Antoninus arbitrabantur: Num carcer æternus, nefariorum ſcelerum vindex in infimis Terræ viſceribus, ut vulgò creditur, an in Sole ſit conſtitutus, ut recentior quidam Philoſophus deliravit.

At verò e contrario Regulæ morum, cum naturalibus legibus, Divinis, Eccleſiaſticis, & Civilibus, tum publicis, tum privatis, tum omne Genus humanum, tum ſingularem quamque hominum ſocietatem ſpectantibus, contineantur, innumera propemodum capita complectuntur, quæ pro variis hominum gradibus, & officiis, pro locorum, ac temporum, aliarumque rerum circumſtantium differentia infinitis planè modis variantur. Unde cùm ſingula ab Eccleſia particulatim definiri, ac deſcribi nulla ratione potuerint, cujusque hominis prudentiæ neceſſariò relinqui debuerunt. Verùm pro miſera humanæ naturæ conditione plerumque contingit, ut turbidis animi motibus, indomitis cupiditatibus, malis moribus, & exemplis, depravatisque opinionibus obcæcati, veritatis lucem adspicere nequeamus; eandemque actionem, prout animo affecti ſumus, modò legibus permiſſam eſſe, modò vetitam arbitremur. Quare ut difficillimum eſt omni animi perturbatione vacare, omnemque caliginem, quæ undique mentibus noſtris offunditur, omninò diſcutere, ita ſummæ, atque incredibilis difficultatis eſt de rebus agendis, vel non agendis rectè atque integrè judicare. Præterea,

incidunt interdum aliqui caſus adeò intricati, & implexi, totque difficultatibus involuti, ut, quamvis animum, omnibus impedimentis remotis, ad bene judicandum expeditiſſimum afferamus, tamen æqualibus utrinque rationum momentis detenti, ſuſpenſi, atque ancipites hæreamus, & in ſumma mentis fluctuatione verſemur. Videtis igitur, Patres Ampliſſimi, quàm nobilis, quàm excellens, quàm neceſſaria ea diſciplina cenſeri debeat, ad quam reliquæ Facultates, ac Religio ipſa omni ex parte refertur: Quàm ſit difficile, quàm operoſum, quàm penè ſupra vires humanas omnes morum regulas probe tenere, & ſingulis quibusque caſibus prudenter accommodare: Quàm longè a Veritate recedant, qui moralem Theologiam, ut nimis facilem, & expeditam contemnunt, ac vulgaribus, rudibusque ingeniis relinquendam eſſe arbitrantur.

Quæ cùm ita ſint, quibus tandem laudibus hunc Præſtantiſſimum Juvenem dignum eſſe cenſebimus? quòd minus neceſſariis Theologiæ quæſtionibus, quantum res poſtulat, examinatis, ad eam Religionis partem totum ſe dederit, quæ non acutum, & eruditum, ſed meliorem hominem efficit. Quæ non honoris, & gloriæ, ſed æternæ fælicitatis viam præmonſtrat: Quæ non humanæ curioſitatis miniſtram, ſed veræ ſapientiæ magiſtram ſe præbet: Quæ denique Fide in terris relictâ ad Cœlum hominem comitabitur, eique ſempiternis ſæculorum ætatibus fideliter aſſidebit. Nec mirum videri debet, quòd in ea tam brevi tempore tam longè proceſſerit, nam, ut nihil dicam de Philoſophicis Studiis, fidiſſimis Theologiæ moralis præmonſtratoribus, quibus ad eam optimè inſtructus acceſſit, nihil de ſummis, diuturniſque laboribus, quos, repugnante infirmâ, gracilique corporis temperatione, ſuſcepit; non eam ex putidis, & lutulentis paludibus, ſed ex nitidiſſimis Evangelii fontibus hauſit, ex Sanctorum Patrum Sententiis, & Conciliorum, ſummorumque Pontificum pronunciationibus. Ex iis verò, qui excellentiſſimam hanc diſciplinam tractarunt, Divum Thomam, Bonaventuram, Raymundum, & Antoninum ſibi potiſſimùm Duces, ac Præceptores elegit, qui, cùm Doctrina, & Vitæ Sanctitate florerent, in morum regulis expendendis ſummoperè præter cæteros excelluerunt.

Sed

Sed nihil magis hunc Juvenem ad proficiendum in eorum libris adjuvit, quàm quod eorum integritatem, & innocentiam fideliter eſt imitatus, a qua nec voluptatum illecebræ, nec juvenilis ardoris licentia, nec plena vivendi libertas, quam a prima ætate Parentibus orbatus obtinuit, eum vel minimum retrahere potuerunt. Nam, ut præclarè Chriſoſtomus animadvertit, morum probitas, probas opiniones ingenerat; & ubi nulla prava libido dominatur, ubi nullæ animi perturbationes, nullæ vitiorum caligines mentis aciem obnubilant, facilè ad nos æternæ Lucis Radii perveniunt, nobisque nativum veritatis decorem clariſſimè aperiunt. Accipe igitur, Præſtantiſſime Juvenis, jamdiù debita virtuti tuæ ornamenta, & in his Libris inoffenſum Sapientiæ curſum, quem laudabiliter tenuiſti, forti conſtantique animo abſolve.

II.

QUOD jampridem Philoſophi aſſeruerunt, veritatis luce nil jucundius Homini poſſe contingere, & naturâ ineſſe mentibus noſtris fortiſsimam quamdam, atque inſatiabilem ſciendi cupiditatem, id profectò universè verum non eſſe longa plurium ſæculorum experientia demonſtrat. Etenim jam inde ab antiquiſsimis temporibus complures Nationes, ac Gentes craſsis ignorantiæ tenebris involutæ, vitam nullâ diſciplinâ, nullisque inſtitutis excultam Beſtiarum more traducunt; atque inter eas, quæ cultiores, ac politiores habentur, longiſsima temporum intervalla fluxerunt, quibus, immani, atque intoleranda barbarie liberè dominante, crimini datum ſit mentem liberalibus Diſciplinis, ac politioribus artibus exornare, quique ſcientiam aliquam profiterentur, acerbiſsimâ ignis pœnâ digni ſint judicati. Quin etiam iis temporibus, ac locis, quibus ſcientiarum pretium melius eſt cognitum, quàm pauci Adoleſcentes inventi ſunt, aut inveniuntur, qui ad literarum ſtudia naturali proclivitate ferantur; quàm pauci ſine aſsidua cura, atque artificioſæ educationis Diſciplina, eorum ſuavitate delectarentur; quàm pauci adultorum hominum extiterunt, qui cupidè laboraverint, ut mentem rerum cognitionibus expolirent, ſi cum iis comparentur, qui vel deſidiâ, ac torpore marceſcentes, vel effrænatis cupiditatibus turpiſsime mancipati, in ſumma rerum omnium ignoratione verſantur. Illud tamen inficiari non poſſumus, ex otioſa, atque obcæcata hominum Univerſitate emergere interdum aliquos Adoleſcentes tam ardenti doctrinarum deſiderio flagrantes, ut, quemadmodum gravia corpora a quibusdam Philoſophis magno

gno conatu ad Terræ centrum contendere ſuapte naturâ creduntur, ita ad ſcientias comparandas naturali quodam impetu incitari, abripi, urgeri vehementiſsime videantur. Inter quos unus ex omnibus magnoperè eminet Juvenis hic Præſtantiſsimus, quem hodiernâ die in ampliſsimum Collegium veſtrum ſummâ animorum conſpiratione, & concordiâ cooptaſtis. Cùm enim ab ineunte ætate primò pingendi Arti, mox paternæ negotiationi fuiſset addictus, indignabatur continuè generoſus ejus animus, & ad majora capeſsenda natus, tam anguſtis cancellis ſe detineri, ac veluti ferox, & magnanimus Miles commeatibus partiendis, vel ſarcinis cuſtodiendis præfectus, ubi prælium committi videt, acerbè dolet, ac fremit, ſe ingloriam, atque ignobilem vitam tranſigere, interdum arma ſumit, & concutit, aeremque inanibus ictibus ferit, & ſtrages, ruinasque molitur; ac tandem, Ducis imperio perfracto, minarum, ac virtutis plenus in aciem irruit; ſic Juvenis hic Præclariſsimus, ſe tam otioſo, ſterilique muneri obſtrictum indignans, & longe nobiliorem doctrinæ, quàm pecuniæ quæſtum exiſtimans, ex paterna officina tamquam ex carceribus erumpere aſsiduè conabatur; & quidquid ab ingratis occupationibus ſupererat temporis, id omne in libris, quos per ætatem intelligere poterat, volutandis, ac perlegendis ponebat; ac denique moræ impatiens, ubi primum Patris cenſenſum longis precibus, atque importunis extorſit, velutì ruptis repagulis mirâ quadam, atque incredibili alacritate ad literarum ſtudia avidiſsimè convolavit. In quibus qua ſedulitate, qua conſtantia, qua animi contentione perſeveraverit, ex magnis ejus progreſsibus intelligi poteſt, quos certè nunquam tales, tantosque fecisſet Juvenis adultâ jam penè ætate bonarum artium ſtudia complexus, niſi præteriti temporis damna diuturnis vigiliis, immenſisque laboribus reſarciſset. Quod ut faciliùs exequi poſset, difficile dictu eſt quàm cautè, quàm cogitatè, quàm diligenter voluptates omnes refugerit, tamquam malorum eſcas, ac blandiſsimas peſtes, quæ lethiferâ jucunditate mentem inficiunt, a ſtudiis detorquent, nec ullum habent cum virtute commercium; quanta cupiditate optimos quosque de Philoſophia, hiſtoria, ac Theologia libros perlegerit, quàm avidè

omni ſpe gloriæ, vel lucri contemptâ, ab omnique pertinacia remotus, unam ſibi veritatem expetendam, atque inveſtigandam decreverit, quàm promptè, ſi quid inter diſputandum peccaret, ſuum errorem ingenuè agnoverit, aliorumque ſententias, ſi meliores, ac probabiliores ſibi viderentur, ſuâ opinione dimiſsâ, arripuerit. Illud enim altè ejus animo infixum hærebat, neminem, præter Deum, immunem eſse ab errore; & ſicut cujusvis hominis eſt errare, ita nullius eſse, niſi inſipientis, vel arrogantis in errore perſiſtere. Jam verò quantâ admiratione, quibusque laudibus dignum eſse arbitrabimur, quòd hæc tam laborioſa, tam difficilia, tam diuturna ſtudia ſuſcepit, & conſtanter eſt perſequutus, nullis præeuntibus Majorum exemplis, quæ magnum eſse ſolent generoſis animis ad virtutem incitamentum, Parentibus initio præfractè adverſantibus, ac vix denique conſentientibus, idque etiam Autumni, & Bacchanaliorum temporibus, quæ tantopere a negligenti, atque improvida Juventute expectantur, ut a ſtudiis vacare poſsint, quibusque univerſi homines ſe in omne voluptatum, ac flagitiorum genus ingurgitant, præſertim cùm Adoleſcentulis ad latinas literas erudiendis continenter occuparetur, unde aliquid lucrari poſſet, non ut pretioſas veſtes coemeret, non ut fædiſsimâ luxuriâ difflueret, non ut aleæ, vel ſumptuoſis, profuſisque comeſſationibus indulgeret, non denique ut honeſtis animi recreationibus frueretur, ſed ut pretioſam optimorum librorum ſupellectilem, ac ſuaviſsimum animi pabulum compararet. O admirabilem, ac penè inauditum virtutis amorem! o ſingularem, incredibilemque conſtantiam, quæ nec laborum magnitudine frangi potuit, nec difficultatum multitudine vinci, nec diuturnitate temporis relaxari, nec voluptatum illecebris ulla ex parte perverti! Verùm in eo præter cætera ſummoperè laudandus videtur, quod optimè ſemper caverit, ut omne tempus in optimo ſtudiorum genere inſumeret, & inanes, inutilesque quæſtiones omninò negligeret. Nam, ut operam penitus luderet, ac jure meritoque ridiculus haberetur, qui magnis laboribus ingentem arcam nummis adulterinis impleret, vel in magno quodam receptaculo lutulentam, impuram, ac putreſcentem aquam colligeret,

ret; ſic tempus, ac laborem fruſtra conſumunt, qui mentem, neceſsariis, atque utilibus prætermiſsis, rebus inanibus, atque inutilibus onerant. Quis enim non ſtomachetur, quis ferre poſsit, non indoctos ſolummodo viros, ſed ingenioſos etiam, atque excellenti eruditione præſtantes, puerilibus interdum, atque irridendis quæſtionibus occupari, vel quas humanâ ratione conſequi nullo modo conceditur? Quale illud eſt: *Num Æneas dexterum pedem in Italia primum fixerit, an ſiniſtrum: Qua fuerit veterum lucernarum figura, qua magnitudo. Num Luna, aliorumque Planetarum Incola ingenii ſubtilitate homines antecellant?* Quis Doctores Sorbonenſes non rideat, quisquis ne, an kiskis, quamquam ne, an kamkam dici debeat, tamquam de Aris, ac focis olim acerrimè diſputantes? Quis Paulum Manutium non indignetur, veterem lapidem, ubi vox *conſumtus* ſine *P* ſcripta erat in Lambini faciem magno impetu projeciſſe, naſumque ei confregiſſe, quòd Lambinus contra Manutii ſententiam *conſumptus* cum *P* pronuntiandum eſſe contenderet? Illud verò longe magis dolendum, quòd non in profanas Diſciplinas dumtaxat, ſed etiam in Theologiam ipſam hujuſmodi malum irrepſit. Quid enim eſt aliud, quod quidam Theologi inquirunt, an *Gabriel Angelus*, ex. c. *Virgini apparuerit in ſpecie ſerpentina, an in Columbina, an in humana? In quo ſexu apparuerit? An excrementa in Paradiſo futura ſint? An Adam umbilicum haberet? An Maria gravida ſedente, Chriſtus ſederet, atque ipſa cubante cubaret?* niſi Theologiam ex immenſo fertilique campo in ſterilium diſputationum anguſtias, ineptasque contemplationes compellere? *Ridiculum eſt autem*, ut Auguſtinus ait, *cùm ſuperflua multa didiceris, ipſa neceſſaria ignorare. Si enim Themiſtocles non curavit quod eſt habitus indoctior; quod canere nervis ſe neſcire dixiſſet, ac roganti quid noſſet, reſpondit, Rempublicam ex parva magnam efficere, dubitandum eſt tibi dicere, te iſta neſcire;* cùm *ei, qui rogat, qua noveris, reſpondere poſſis, noſſe te, quomodo etiam ſine iſtis homo eſſe poſſit beatus.* Illa verò longe deteriora ſunt, *An Deus, v. c. cum Aſino, cum Bove, cum Piſce, cum lapide, cum Dæmone, cum peccato hypoſtaticè uniri potuerit? An Deo cum lapide, cum Aſino, cum Dæmone, cum peccato hypoſtaticè unito, verè dici*

poſſet

poſſet: *Deus eſt lapis*, *Deus eſt Aſinus*, *Deus eſt Dæmon*, *Deus eſt peccator*, *Deus eſt damnatus*, & alia ſexcenta hujus generis, quæ præter cæteros colligit Cardinalis Perronius, ut eſt in omni literatura, præcipuè in rerum theologicarum cognitione apprimè verſatus; ſed ita tetra ſunt quædam, ita impura, ita abominanda, ita turpia, ut ea fugiat, ac reformidet Oratio. His puerilibus, ac forte etiam impiis quæſtionibus nunquam ſe exercuit Juvenis hic Præſtantiſsimus; ſemper enim ſibi perſuaſit, inſanum eum eſse laborem, qui vel in rebus ſupra captum humanum poſitis, vel futilibus, & infructuoſis impenditur, magnamque eſſe ſcientiæ partem exiſtimavit humanæ mentis imbecillitatem, ac præfinitos illi ab Authore Naturæ terminos intelligere, atque, quæ utiliter ſciri poſſunt, ab iis, quæ humanâ ratione attingi nequeunt, internoſcere, & eorum Theologorum dementiam ſemper damnavit, qui, ut *Auguſtinus* ait, *multum diſputant de iis rebus*, *quas majori prudentia Authores noſtri omiſerunt*, *ad beatam vitam non profuturas diſcentibus*, *& occupantes*, *quod pejus eſt*, *multum pretioſa*, *& rebus ſalubribus impendenda temporum ſpatia*. Accipe igitur, Praeclariſsime Juvenis, decreſa tibi a ſapientiſsimis Patribus tuæ virtutis Inſignia, & cura diligenter, ut glorioſa hæc Dignitatis ornamenta, non tam præteritorum laborum præmium, quàm futurorum incitamentum fuiſſe videantur. Et quoniam hactenus ſcientia tua uſus es ad vitam, moresque tuos regendos, ac temperandos, & condiſcipulos tuos optimis ſtudiorum regulis imbuendos, perge etiam in poſterum, non ut plerique hominum faciunt, ad inſanam auri, vel gloriæ ſitim explendam, ſed ad animi tui, aliorumque Hominum utilitatem tuam ſapientiam conferre, qui profectò ſolus eſt fructus ſtudiorum omnium uberrimus, atque honeſtiſsimus.

Quod

Digitized by Google

III.

QUOD Ariſtoteles ait, omnes ingenioſos melancholicos eſſe, cùm ratio ipſa, tum Præſtantiſsimi hujus Juvenis exemplum demonſtrat. Qui enim ſic animo affecti ſunt, receſſus, ac ſolitudines ſtudiis omnibus amiciſsimas vehementer amare conſueverunt, & Populi Conſortium, atque imperitæ multitudinis ſtrepitum averſari; quæ quantopere ſtudiis obſint, optimè noverunt Sapientiſsimi Legumlatores, qui bene, ac prudenter ſanxerunt, ut longe a liberalium Diſciplinarum Profeſſoribus abſint, qui ſtrepitantibus, ac ſonoris artibus exercentur. Accedit eodem etiam, quòd melancholicorum hominum ſanguis, & actuoſi, ac vitales ſpiritus veluti quodam glutine detinentur, irretiuntur, ac retardantur, ne per venas, arterias, cæteroſque exiliſsimos, inſenſibileſque meatus nimia celeritate diſcurrant. Unde id genus homines ita naturâ ſunt comparati, ut animum in rerum contemplationibus majori contentione defigant, quàm ii, quorum Spiritus irrequietis, incompoſitiſque motibus agitati, & ſubſultim, ac temerè concurſantes, eorum mentem variè, miriſque modis in diverſa trahunt, impellunt, abripiunt, nec in ejuſdem rei conſideratione diutius immorari patiuntur. Verùm alia etiam de cauſa, qui naturâ melancholici ſunt, idonei potiſsimum cenſeri debent, ut in rerum Divinarum contemplationibus longius, quàm cæteri, progrediantur; nam cùm ſuſpicioſi, timidiſsimi, ac puſillanimes eſſe ſoleant, ac minima quæque mala ſub magnis imaginibus eorum mentibus re-

præ-

præſententur, Deum flagitiorum juſtiſsimum ſpeculatorem, ac vindicem, atque horrenda infernarum ſedium ſupplicia; præter cæteros formidantes, voluptatum illecebris, effrænatiſque cupiditatibus longe facilius obſiſtere valent, animumque a criminum contagione incorruptum, & incontaminatum ſervare. Quibus rebus efficitur, ut pura, integraque mente ad res puriſsimas accedentes, clariſsima luce a Patre luminum uberrimè colluſtrentur; & ad ſupera, cæleſtiaque meditanda, & intelligenda aptiores, ac paratiores evadant. Nam, ut optimè Cyrillus Alexandrinus nos docet: *Non aliter formari poſſunt Theologi, niſi Summus ille Deus ineffabili quadam indulgentia ad eos deſcendat, eosque ad ſe vocet in montem vulgo quidem inacceſſum; piis autem, & longo virtutum, ac ſtudiorum tyrocinio exercitatis facilè pervium*. Et quidem ſi ii, qui cupiditatibus ſe dediderunt, & in flagitiorum cœno miſerè volutantur, ne profanis quidem ſtudiis idonei reperiuntur, quòd tota eorum mentium capacitas blandiſſimis voluptatum imaginibus omnimode repleatur; quodque a pravis, quibus aſſidue diſtinentur, turpiſſimarum rerum cogitationibus, ad bonarum artium ſtudia revocari non valeant, qua ratione poterunt rerum Divinarum contemplationibus delectari, quæ tantopere voluptatum blanditiis adverſantur, quæ continuò, vel Dei vindicis iram, vel formidandum extremi judicii diem, vel ſempiterna flagitioſis hominibus ſupplicia denunciant, quæ denique nil niſi triſte reſonare conſueverunt, nec quidquam aliud objicere, vel clamitare, niſi ut mentem a corpore, a terrenis rebus, a delectationibus abſtrahamus, utque ſcelera continuis lacrymis, precibus, vigiliis, jejuniis, & voluntariis corporis macerationibus expiemus? Quin etiam ſceleſti homines, ut moleſtiſsimis conſcientiæ cruciatibus, æternorumque ſuppliciorum formidine liberentur, de earum veritate primò dubitare paulatim incipiunt, ac mox præcipiti furore, cæcoque impetu ad deteriora quæque ruentes, quæcunque Religio docet falſa eſse arbitrantur; nec quidquam, niſi Commentitia vafrorum ingeniorum figmenta ad continendos in officio homines, & ad publicam Populorum tranquillitatem ſervandam excogitata. Quare an ſceleſti homines ſtupidè iis poſsint, quæ fabu-

buloſa putant, animum applicare, veſtrum, Patres Conſcripti, judicium eſto. Videtis igitur quantò ſint ad res theologicas addiſcendas aptiores qui naturâ melancholici exiſtunt, præ iis, quibus iſta corporis temperatio non contigit. Quamobrem nemo veſtrum mirari debet, quòd Religioſiſsimus hic Sacerdos, cùm ad melancholiam naturali proclivitate feratur, præſtantiſsimis animum virtutibus exornaverit, & in Theologia, cæterisque Diſciplinis, quæ ad eam juveniles animos præparant, ac facem quodammodo præferunt, tam longè proceſſerit, in eamque, cæteris omnibus rebus poſthabitis, omnes ſuas curas, labores, cogitationesque defixerit. Si ergo religioſam omni tempore vitam, ab omnique ſceleris contagione incorruptam ſervavit, ſi animum ſuum quammaximè potuit, a corpore, terreniſque rebus ſemper abſtraxit, ſi voluptatum illecebris, effrænatisque cupiditatibus viriliter obſtitit, ſi denique nil illi antiquius fuit, nil jucundius, nil charius, nil optabilius, quàm ut optimus Theologus efficeretur, id omne naturali ejus corporis diſpoſitioni magna ex parte aſsignandum exiſtimo. Hinc repetenda eſt ſingularis illa, atque admirabilis diligentia, & aſsidua mentis in rerum Divinarum contemplatione defixio. Hinc ſcrupuloſus ille non vetitarum ſolummodo voluptatum, ſed & honeſtarum animi recreationum contemptus, hinc quotidianæ intra domeſticos parietes cum ſelectis quibusdam Condiſcipulis de omni liberali Diſciplina diſputationes. Hinc fructuoſæ illæ extra urbem ambulationes ſanitatis cauſâ ſuſceptæ, nec alio unquam, niſi de optimis Diſciplinis ſermone conditæ. Hinc eximia illa latini ſermonis integritas, & elegantia. Hinc ſumma, atque incredibilis clarè, dilucidèque loquendi, ſuasque cogitationes perbreviter exprimendi promptitudo, & facilitas. Hinc denique inexpleta illa, atque inſatiabilis optimorum, probatiorumque de ſingulis Diſciplinis, librorum ſitis, ac deſiderium. Optimorum, ac probatiorum dixi; Non enim hic Juvenis ex eorum numero cenſeri debet, qui, cùm planè inerudi ti ſint, ac prorſus illiterati, ingentes magnis ſumptibus congerunt Bibliothecas ex omni Scriptorum fæce conflatas, atque eruditorum famam, quam ingenio comparare non poſſunt, immenſa pecuniæ profuſione mercantur; & picta variis

riis

Digitized by Google

riis coloribus ſcrinia, aureisque bracteis exornata, ſingularique artificio, & expolitione diſtincta, ſine ordine, ſine delectu immanibus librorum molibus opprimunt, quorum pretium ex magnitudine ac numero, non ex operis excellentia metiuntur, quosque ex ſemirutis, ſquallentibus, ac ſordidatis decoctorum Bibliopolarum officinis informi, fædoque ſitu corruptos, aranearum telis fædatos, & blattis, tineisque corroſos tumultuariè traxerunt. Vel ſi forte ſingulari fortunæ beneficio, vel eruditorum conſilio in Bonos authores inciderint, & ſi nunquam eos legant, nunquam aperiant, ut ex eorum mutuò cohærentibus foliis videre licet, ne ſtudioſis quidem hominibus eorum copiam facere volunt, ſed tamquam rem ſacram, profaniſque manibus intractabilem, ſanctè religioſèque cuſtodiunt. Vix dici poteſt, Patres Ampliſsimi, quantopere hic Juvenis ab iſto more diſsideat: Nam & ea ſemper ejus modeſtia fuit, ut non ſolùm falſos, mendacesque aucupari rumores, & famam popularem ſtultorum conſenſu excitatam conſectari, inania eſse puerorum delectamenta cenſuerit; ſed juſtiſsimam etiam gloriam, quæ ſit fructus veræ virtutis conſtantiſsimè repudiaverit; & ita limatum illi judicium natura liberaliter impertivit, ut ſingulos cujusque rei, ac materiæ Scriptores optimè perſpectos haberet, & ab obſcuris illuſtres, minimè probatos a bonis, optimos a mediocribus internoſceret. Ejuſmodi vero diligentiam adhibuit, ut quoſcumque ſibi comparaſſet, nocturna, diurnaque manu verſaret. Non enim illi ſatis fuit eos curſim, atque oſcitanter volitantibus veluti digitis volvere, ut plurimi noſtrorum temporum popularis auræ, falſæque laudis ridiculi captatores, qui in omni ſermone inanem ſuam eruditionem venditare conantur, unoque ſpiritu innumera Scriptorum volumina crepant, effundunt, vomunt, eructant; quorum tamen titulos dumtaxat, & ſummorum capitum indices memoriæ mandarunt, vel quorum fortaſſe nullos unquam viderunt; ſed omnes ſemper incredibili ſedulitate, ac diligentia pervolutavit, omnes exquiſitâ judicii trutinâ expendit, de ſingulis eorum partibus callidiſsimè judicavit, optima quæque ingenioſè ſelegit, erroreſque omnes acriter, ac ſubtiliter animadvertit. Surge itaque, Juvenis Præclariſsime, & coronam, &c.

Satis

I V.

SAtis mirari non poſſum , Patres Conſcripti , quòd multi Philoſophantium , qui tam utilia , tam certa , tam ſalutaria bene honeſtèque vivendi præcepta tradiderint , virtutemque ſummis, ut par eſt, laudibus, graviter exornaverint, a ſeipſis poſtea turpiſſimè diſſidentes de Generis nobilitate tam ſtultè , tam temerè, tam inconſultè loquantur, & Familiæ claritatem, atque amplitudinem nihil valere , nihil prodeſſe delirent . Etenim ſi ea omnia magno in pretio ab hominibus haberi debent , quæ ad vitiorum impetus refrænandos, ad animum magnarum artium diſciplinis inſtruendum plurimum valent , quid Generis , ac Familiæ nobilitate opportunius , quæ magnum eſt propugnaculum vitiis oppoſitum: Quæ ad excellentium artium acquiſitionem, optimamque vitam formandam latiſſimum oſtium patefacit: Quæ denique omnes commoditates ad perfectum , numerisque omnibus expletum virum inſtituendum abundè ſuppeditat; ut ii verè fortunati eſſe videantur , quibus ſingulari , ac præcipuo Dei Optimi Maximi beneficio datum eſt ex nobili, atque egregio Clariſſimorum Virorum Sanguine procreari. Cùm enim omnes homines ad aliorum imitationem maximè a natura ſint comparati , quid commodius, quid pulcrius, quid optabilius ulli contingere poteſt, quàm vel præſentia in Parentibus, Affinibus, atque Cognatis , vel prætenta in tabulis, ac voluminibus majorum exempla ſemper habere, ut quocumque te oculis, quocumque te animo, & cogitatione converteris, præclara ubique, & fortiſſima Virtutis incitamenta obverſentur? Quamobrem ii quidem mihi

Digitized by Google

ſapere, ii rectè intelligere, ac providere videntur, qui ſanguinis ſui claritatem imparibus conjugiis contaminari non ſinunt, ſeque cum Familiis vel majori, vel æquali ſaltem nobilitate præſtantibus, propinquitatis vinculo devincire conantur; ut eorum virtutes, utrinque multiplicatis exemplis, mutuò roborentur, & tamquam in unum collectis viribus & conſociatis, ad præclariſſimas rerum actiones ſuſcipiendas fortiores evadant, & ad majora ſemper in dies capeſſenda vehementer, atque acriter inflammentur. Illud etiam plerunque commodum accedere ſolet; ut quemadmodum corporis habitus, & affectiones, ita optimæ illæ ad Virtutem, ac Scientias, propenſiones, & ingenii acumen, ac perſpicacitas, quæ Proavi longis laboribus, perennibusque meditationibus laudabiliter contraxerunt, naturali quadam vi, & hæreditario veluti jure in ſobolem fæliciter deriventur. Fortes enim fortibus procreantur, nec imbellem feroces aquilæ columbam progenerant. Unde ſi ad naturam eximiam, atque illuſtrem accurata, & diligens cultura, & optima in moribus, ac ſcientiis inſtitutio adjungatur, qualis in Filios a Nobilibus Parentibus, præter cæteros adhibetur, vix dici poteſt, quot, quanti, quàm uberes, quàm admirabiles inde fructus proficiſcantur, quot calcaria ad virtutem proſequendam, quot fræna ad vitia omnia fugienda in Nobilium Adoleſcentium Animis ingenerentur. Quapropter bene, ac prudenter ſapientiſſimi Legumlatores majores quibusdam ſceleribus pœnas conſtituerunt, ſi a plebejis, quàm ſi a Nobilibus Viris admitterentur. Cum enim illi vel domeſticorum exemplorum, vel bonæ educationis defectu, vel maleſuadæ paupertatis impulſu, vel perditorum hominum ſocietate hujusmodi maleficia ſæpius committere conſueverint, quæ vix unquam a Nobilibus Viris perpetrantur propter aſſiduum honeſtiſſimorum Virorum conſortium, atque inſitum honoris amorem, quem altiùs cæteris imbiberunt, ibi fortiùs remedium adhibere debuerunt, ubi majus periculum adeſſe cognoverant; ut, qui nullis, vel certè debilioribus virtutis, honorisque repagulis coercebantur, hi gravioris pœnæ timore in officio continerentur. Jam verò quæ neceſſitas flagitabat, ut Nobiles Viri magnorum ſuppliciorum formidine a vitiis retraherentur, cùm præter

ter domeſticam inſtitutionem, glorioſasque Majorum imagines, ad bene agendum magnorum præmiorum, ſummarumque dignitatum expectatione vehementiſſimè permoveantur; quæ quidem ſummâ providentiâ conſtitutum eſt, ut, cæteris paribus, plerunque ex nobili ſtirpe progenitis conferantur: Etenim plebeji, vulgaresque homines ita natura ſunt comparati, ut longè faciliùs eorum conſilia ſequantur, eorumque juſſis obtemperent, quos tanquam naturali conditione ſuprà ſe poſitos ſuſpiciunt, ac venerantur, nec tam facilè eorum ferre poſſint imperium, quos ſibi æquales aliquando viderunt; & Nobiles Viri vehementer indignarentur, ac fremerent humili loco natum ſibi præponi, multique eorum fortaſſe, quibuscumque rationibus poſſent, ejus Authoritati reſiſtere conarentur. Quod ſi Regibus, ac Principibus id unicè propoſitum eſſe debet, ut eos maximè Regimini Populorum præficiant, ſuarumque Civitatum Miniſtros adhibeant, qui præcæteris ſingulari virtute præſtantes, perfectè, ac laudabiliter aſſignatum ſibi munus explere poſſint, palam eſt eos a Nobilibus Viris vix unquam, ac ne vix quidem poſſe diſcedere, cùm quotidie excellentiſſimos quosque vel eximiâ vitæ ſanctitate, vel ſingulari literarum peritiâ, vel præcipuâ rei militaris diſciplinâ præſtantes, ex nobili Gente progenitos videamus. Nec verò ad hujus rei confirmationem externa, quæ infinita propemodum occurrunt, exempla exquirere oportet, cùm innumera nobis Civitas noſtra ſuppeditet præſtantium, ſummorumque Virorum fœcundiſſima Parens ac Procreatrix. Nam & Bernardinus Albizeschius, & Bernardus Ptolemæus, & Joannes Columbinus, & Ambroſius Sanſedonius, aliique innumerabiles Viri, qui in hac Urbe incredibili vitæ probitate floruerunt, & duo fortiſſimi noſtrorum fere temporum Imperatores, quorum generoſis nominibus terretur adhuc Svecorum Regnum, & Mahumetanorum Imperium, quorumque bellicæ laudes omnium ſæculorum memoriâ vigebunt, & Franciſcus, & Auguſtinus Patricius, & Æneas Sylvius, & Matthiolus, & Celſus Cittadinus, & Claudius Ptolemæus, & Franciſcus, ac Alexander Picolomineus, in Philoſophia, hiſtoria, eloquentia, omnibusque bonarum artium diſciplinis apprimè verſati, hi, inquam, omnes ex illuſtri fuerunt, nobilique Ge-

nere procreati. Prudentiſſimè igitur a Veteribus Græcis, & ab ipſo Romulo initio Romanæ Urbis conſtituendæ proviſum accepimus, ut Patriciorum ordo ſupra reliquum Populum ſtatueretur, qui mos ab antiquiſſimis usque temporibus in tota ferè Europa laudabiliter, utiliterque ſervatur, ut exiſtant ubique præſtantes nobilitate Familiæ, quæ ſeminarium ſint excellentium Virorum, ac veluti promptuarium, unde optimi quique ad regendos Populos, altiſſimosque dignitatum gradus ſuſtinendos, tamquam ex Equo Trojano, jugiter proferantur. Quæ, cùm ita ſint, quàm bonis, quàm fœlicibus auſpiciis te natum dicemus, Juvenis Præſtantiſſime, cui ex tam præclaro, & illuſtri ſanguine prodire contigit, in quo tam multa tibi, tam fortia ſemper adſuerunt virtutis exempla, & ad optimam, integramque vitam inſtituendam incitamenta? Nam ſive ad ampliſſimi Parentis, ſive ad ſpectatiſſimæ Genitricis Cognationem animum advertamus, ubique ſtirpis clariſſima, & egregia progenies, ubique excellentium Virorum inſignis, & copioſiſſima ſeges occurrit, quorum exemplis tamquam tutiſſimo vallo defenſus, & oppoſitis veluti molibus, & aggeribus omni ex parte circumdatus, ac circumſeptus, munitiſſimam ab omnium rebellantium cupiditatum conatibus vitam fœliciter traduxiſti, ut non modò tuus animus, naturæ ipſius habitu, ad bene agendum mirè proclivis; ſed nemo, etiam in omne flagitii genus propenſus, ad malum aliquem actum erumpere poſſet, &, vel invitus, ad virtutem proſequendam vehementiſſimè raperetur. Quis enim, ne ſingula, ac remotiſſima perſequamur, Avo tuo clariſſimo viro temperatior, quis blandior, quis benignior, quis continentior, quis morum ſuavitate præſtantior, ab omnique criminum ſuſpicione remotior, cunctisque Civitatis Ordinibus charior? Ut quamvis ejusmodi Munus obtineret, quod naturâ ſuâ in odium multitudinis incurrere ſolet, magnasque Populi offenſiones ſæpenumero concitare; ita tamen temperatè illud exercuit, ita moderatè, ita juſtè, ac prudenter, ut, quod difficillimum eſt, ac propè divinum, unà & Principi, & Populo cumulatiſſimè ſatisfaceret; ac nemo omnium fuerit, qui non eum ſumma charitate, ac benevolentia complecteretur. Qui cùm eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellen-

cellentem virtutem videbatur omninò mori non debuiſſe. Jam verò quàm illuſtria tibi ſemper fuerunt virtutis exempla in ampliſſimo Genitore propoſita, qui ſumma fide, atque incredibili ſedulitate, ac prudentia commiſſam ſibi Eccleſiam regit, ac moderatur; qui inaudita ſollicitudine pauperibus opitulandis invigilat; qui denique ſingulari pietate, ac Religione Divinum Cultum, ſanctasque Cæremonias procurat, ut perfectam undecumque optimi Parentis imaginem exprimat, nec tam ejus fortunarum, quàm virtutum hæres exiſtere videatur. In eo autem potiſſimè illum eſt imitatus, ut optimam, quam ab ipſo acceperat, inſtitutionem, Tibi, Fratribusque tuis diligentiſſimè, & quoad poſſet, magno cum fœnore reſtitueret. Quamobrem quà præceptis, quà exemplis Dux tibi ſemper ad virtutem fideliſſimus fuit, & aſſiduus monitor, ac præmonſtrator, teque lectiſſimis, magnoque pretio quæſitis de omni ſcientia libris inſtruere nullo tempore deſtitit, optimisque in diſciplinam Præceptoribus tradere; teque illis, quoties eos offenderet, enixè, ſummisque precibus, omnique liberalitatis genere adhibito commendare; nullum denique ſtudium, nullamque diligentiam omittere, nullis laboribus, nullisque ſumptibus parcere, ut te omni virtute, omnique doctrina liberaliter inſtitutum haberet. Hoc enim ſemper ſibi penitùs perſuaſit, hac una in re, ſi unquam licet, cùm laude prodigum eſſe licere. O te igitur verè fortunatum, o terque quaterque fœlicem, qui in virtutis domicilio, ac Sapientiæ veluti ſinu natus, & innutritus, præclariſſimas morum regulas, & ſaluberrimas optimarum artium inſtillationes pænè cum lacte ſuxiſti. Sed multò magis fœlicem, quòd hæc generoſa virtutum ſemina non in ſterile ſolùm, ſed in concipientem, comprehendentemque naturam inciderint, &, aſſiduis tuis laboribus, diuturnisque exercitationibus exculta, uberrimos, & admirabiles fructus produxerint! Quapropter minimè mirum videri debet, quòd præclariſſimis animum virtutibus exornaveris: Quòd ſumma ſemper in te gravitas, ab omni tamen Superbiæ ſuſpicione remota, ac prudentia ferè ſenilis eluxerit, & admirabilis erga Deum, atque Parentes pietas, ac reverentia: Quòd in omni cultu, & curatione corporis elegantem quamdam, decoramque munditiem, non

odioſam, nec exquiſitam nimis, atque muliebrem, ſed ætati, & conditioni tuæ mirificè convenientem, ſervaveris: Quòd in Philoſophia, Theologia, & Hiſtoria, præſertim Eccleſiaſtica, omnes tuas curas, cogitationesque defixeris: Quòd incredibili ſemper optimorum, probatiorumque librorum deſiderio flagraveris: Quòd denique, cùm natu major eſſes, Templo te, divinisque rebus generosè devoveris. Cùm enim tot tantisque fueris naturæ, atque artis præſidiis adjutus, nihil inde mehercule poterat niſi perfectum, atque abſolutum prodire. Gratulor itaque vobis, Patres Ampliſſimi, quòd ejusmodi Juvenem hodierna die in Collegium veſtrum cooptaſtis, unde maximum vobis univerſis decus accedit, & ornamentum. Quòd ſi omnes homines ſuaviſſima quadam voluptate perfundi conſueverunt, cùm judicia ſua excellentium, ſummorumque Virorum conſenſu probari, confirmarique deprehendunt; quo tandem animo vos eſſe debetis, quâ lætitiâ efferri, quibus gaudiis exultare, quorum de hoc Eximio Adoleſcente judicium Summus Pontifex Clemens XII, meritorum ſpectator egregius, ac juſtiſſimus æſtimator, cùm eum id ætatis ad ampliſſimam Dignitatem evexit, anticipata quadam adprobatione mirabiliter commendavit? Serò igitur tibi, Juvenis Præſtantiſſime, ſerò Collegio noſtro hæc virtutis inſignia ſunt conſtituta, quæ tamen in te magis ad indicandam, quàm ad exornandam virtutem valebunt. Nec verò, ut aliàs fieri ſolet, te hortari debemus, ut tibi deinceps præſtantium Virorum exempla ad imitandum proponas, cùm in te majorum tuorum mirificè expreſſas Imagines admiremur. Tute ipſe tibi exemplar impoſterum eſto. Te ſolùm intuere, te reſpice, tui ipſius veſtigia proſequere. Idipſum erit ampliſſimi Avi, ac Parentis, & Patrui Religioſiſſimi, ac Sapientiſſimi Præſulis, præſtantiumque aliorum Affinium, & Cognatorum illuſtria exempla ſectari.

Quam

V.

QUAM iniquè comparatum eſt, Patres Conſcripti, ut Homines naturali quadam propenſione, & malitiâ, vel præcipiti atque inconſulta judicandi celeritate aliena facta, quæ dubiam interpretationem habent, plerumque in deteriorem partem accipiant! Quàm multos proinde extitiſse arbitramur, qui Præſtantiſsimi hujus Juvenis conſilium vituperaverint, quòd præter veterem, ac pervulgatam cæterorum conſuetudinem, priusquam docendi munus acciperet, publicè de rebus theologicis non diſputaverit? Quàm multos, qui eum negligentiæ, ſocordiæ, vel arrogantiæ accuſaverint, eumque inſolentem, ac ſuperbum vocarint, & laudabilium, probatorumque morum contemptorem? Quàm multos, qui hac occaſione in recentiorem philoſophandi methodum probra omnia, contumelias, ac maledicta contulerint, eamque rationis, atque ordinis perturbatricem, ac juvenilium animorum peſtem, calamitatem, perniciem eſſe affirmaverint, quòd eos novarum rerum cupidos, quòd elatos, quòd arrogantes, quòd Veterum Inſtitutorum irriſores efficiat? Nonnullos fortaſse etiam, qui eum avaritiæ inſimulaverint, vel nullius pretii, nulliusque ingenii hominem dixerint, nec alia de cauſa a publicis diſputationibus abſtinuiſse cenſuerint, niſi ut modicis quibusdam ſumptibus parceret, vel quòd ſuis viribus omnino diffideret, ſeque periculoſo certamini committere non auderet. Verùm ego, cunctique ejus Condiſcipuli, ac Familiares, qui fuimus ſtudiorum ejus teſtes, ac ſpectatores,

quique proinde omnem ejus ſenſum probè perſpectum habemus, omni aſseveratione affirmare poſſumus, neminem horum veram ejus mentem fuiſſe aſsequutum. Non enim hic avaritiâ, non ſocordiâ, non ingenii debilitate, non despicientiâ inveteratæ conſuetudinis, publicas diſputationes omiſit, ſed, quod eum magnopere commendare debet, quodque nulli fortaſſe in mentem venire potuit, id unum ſpectavit hic Juvenis inſatiabilis ſapientiæ inveſtigator, & in laboribus patientiſsimus, ut maximam ſibi, atque ineluctabilem Divinis rebus ſtudendi neceſsitatem imponeret. Cùm enim, ut ipſum perſæpe dicentem audivi, publicis in Diſputationibus tres dumtaxat de Theologia quæſtiones plerumque excutiantur, qui eas prætermittunt, ſi Magiſterii Dignitatem conſequi velint, & in ampliſsimum Collegium veſtrum adſcribi, ſapientiſsimis octo e cætu veſtro Magiſtris de univerſa Theologia reſpondere, ut probè noſtis, oportet, ac proinde, ut ſe idoneos probare poſsint, non fucata, & umbratili Theologia contenti eſſe debent: Non ſparſis quibusdam, atque interciſis Sacræ Scripturæ locis: Non aliquibus ſententiarum floſculis temerè ex Patrum libris ſine ordine, ſine delectu hinc inde decerptis, nulloque nexu inter ſe cohærentibus: Non obſcuris quibuſdam, jejunisque definitionibus, ſed immenſos, ac propemodum infinitos labores ſubire coguntur, & dies, noctesque Sacras Literas meditari, Eccleſiæ Hiſtorias, innumera Patrum, & Conciliorum volumina, Summorum Pontificum Decreta, omnium denique Theologorum, Doctorumque placita perſcrutari. Ex quo efficitur, ut mentem jucundiſsimis perutilium, ac pulcherrimarum rerum cognitionibus ornent, ac longiſsimè rerum Divinarum ſcientiâ cæteros antecellant. Hortabantur eum quidem quotidie Parentes, & Condiſcipuli ad publicas Disputationes ineundas, ut ejus ſapientia ex domeſticis latebris, ac receſsibus palam, atque in hominum conſpectum erumperet. Verùm hoc unum ſemper eis reponebat Juvenis modeſtiſsimus, nihil ſe popularis auræ cupiditate commoveri, nihil hominum exiſtimationem, nihil gloriam morari. Præſtare enim, revera eſse, quàm videri ſapientem, nec aliò Chriſtiani hominis, præſertim Sacerdotis, ſtudia ſpectare oportere, niſi, ut humanis laudibus

omni-

omninò neglectis, ſuâ ſcientiâ ad animi ſui, aliorumque hominum utilitatem utatur, ſolumque Deum ſuæ Doctrinæ teſtem, ſuorumque operum adprobatorem agnoſcat. Inutilem præterea omninò eſse laborem, qui in publicis Diſputationibus, quales hodiernis moribus uſurpantur, ab ambitioſa, atque improvida Juventute ſuſcipitur; quòd hominum malitiâ, & abuſu, ab utiliſsima veritatis inveſtigatione, quò unicè ſpectare deberent, ad inanem ingenii, ac virtutis oſtentationem, & ad falſam gloriam captandam perversè detorqueantur. Quid enim, ajebat ipſe, tam abſurdum, quid a ratione magis alienum; quid magis inſipienter excogitatum, quàm unâ difficultate propoſitâ, probèque ab Adverſario ſolutâ, ad aliam deveniri non poſse; ita ut, ſi Medius Terminus, ut vocant, aliquando mutetur, etſi contrariam ſententiam optimis aliis, ſolidiſque rationibus oppugnemus, nihil omnino a nobis actum eſſe videatur, & ſanctæ atque auguſtæ Argumentationum Leges per ſummum ſcelus peſſumdatæ, omnia perturbata, omnia ſusque, deque verſa, omnia Divina, & humana jura nefariè violata eſse putentur? An verò Medici, uno medicamento fruſtra ad malum quoddam adhibito, aliud tentare prohibentur? An Imperatoribus vitio datur, cùm ea ex parte, qua fuerant aggreſsi, arcem aliquam capere non potuerunt, alios aditus experiri? An theſaurum in profundo abſconditum inquirentibus, ſi, ubi primùm terram effoderant, minimè inveniant, alibi foſſam excavare interdicitur? Jam verò quid ſtultius, quid iniquius illa lege poteſt excogitari, quâ ignominiæ pœna, quâ famæ proſcriptio, quâ exiſtimationis jactura ſancitur, quâ denique triſtiſsimum, atque atrociſsimum ex Literatorum Republica exilium, niſi ad præſcriptas Dialecticorum formas publicè diſputetur, niſi ad *Ceſare*, vel *Celarent*, vel *Felapton*, vel *Baroco*, vel *Brocardo*, vel *Baralipton*, vel aliud quodvis ex barbaris illis vocabulis, quæ otioſi humanæ mentis corruptores ad deplorandam ſcientiarum omnium everſionem, atque perniciem excogitarunt, omnis argumentatio noſtra exigatur, omneſque illæ Regulæ accuratè, ac religioſè ſerventur, quas eximius ille Liber proponit, qui *De Jure Arguentis, & Defendentis* inſcribitur. Præclarum ſanè, planèque aureum Opus, cæteriſque Juris Ci-

vilis,

vilis, ac Pontificii Titulis *De Jure Immunitatis*: *De Jure Fiſci*: *De Jure Perſonarum*: *De Jure Patronatûs*, inſeri dignum! Ut Grotii, ac Puffendorfii ſtultitiam ſatis mirari non poſſim, quibus, cùm tantus ad laudem pateret aditus, *De Jure Belli, ac Pacis*: *De Jure Naturæ, ac Gentium* ſcribere maluerunt, tamque utili materiâ, tam neceſſariâ, tam magnificâ prætermiſsâ, ſuas cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tamque contemptam. Sed fortè eorum mentes humi defixæ, tam altè ſpectare non poterant, vel rei magnitudine, ac difficultate perterriti cum mærore, ac lacrymis coacti ſunt tantæ rei tractationem felicioribus ingeniis relinquere. Quid autem tam puerile, tam muliebre, tam delicatum, quàm ut verba omnia in argumentationibus, veluti quædam teſsellæ in operibus vermiculatis, vel in Sponſæ alicujus capite crines, ac floſculi, vel gemmæ in annulis, ac monilibus inſitæ, ſuperſtitioſâ quâdam, & effæminatâ ſollicitudine diſponantur, ut, quem Medium Terminum vocant, priorem in majori propoſitione, poſtremum in minori locum obtineat, ut duobus Extremis, ut ajunt, quam in Pręmiſsis habuerunt, eadem in Concluſione ſedes tribuatur; ut, quemadmodum exercitûs Duces inter præliandum alio modo interdum Milites ordinant, quò faciliùs victoriam ferant; ſic nos veritatis confeſsionem, quam ab Adverſario validis rationibus obtinere non poſsumus, excellenti illâ, & admirabili verborum translatione, quæ *reductio oſtenſiva*, vel *ad impoſſibile* nuncupatur, ſi Diis placet, extorqueamus; ut denique omnis noſtra cogitatio penitus in ſcrupuloſâ, atque incommodâ verborum conſideratione defixa, a rebus ipſis ad rerum corticem omnimodè revocetur? O infelices, ac miſeros, perſępe exclamabat, Eccleſię Patres, qui tam obſcura, tam cęca, tam tenebroſa ętate vixiſtis! Miſerum Tatianum! Miſerum Hermiadem! Miſerum Juſtinum! Miſerum Theophilum Antiochenſem, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Minutium, Arnobium, Lactantium, Euſebium! Qui cùm contra falſorum Numinum cultores acerrimè, ac fortiſsimè dimicaretis, tam certas, tam ſanctas, tam penè Divinas Veritatis inquirendę, ac demonſtrandę leges non tenebatis, quarum pręſidio obſtinatiſsimum quemque Idololatram,

ac

ac univerſum planè Terrarum Orbem ab impio cultu ſceleratisque ſuperſtitionibus ad Chriſtianam Religionem revocare vobis feliciter contigiſset. Quid? Athanaſius cùm Arianam hęreſim perſequeretur: Quid? Hieronymus, cùm contra Hélvidium, Vigilantium, ac Jovinianum: Quid? Auguſtinus, cùm contra Donatiſtas, Pelagianos, ac Manichęos: Quid? denique Leo Magnus, cùm contra Euthychetis hęreſim disputaret, ſi pretioſas has, ac e cęlo delapſas Dialecticorum formulas adhibuiſſent, laudandarum Artium omnium procreatrices, & quaſi Parentes, omnes profectò Catholicę Religionis hoſtes, non ſolùm a ſe victos, ac profligatos vidisſent, ſed etiam omninò labefactatos, atque contritos, ac penè ex hominum numero, & ex humanę Naturę finibus exterminatos. Quorſum verò illa pretioſi temporis dilapidatio & jactura, ut, quod tribus, quatuorve verbis nullo negotio concludi poteſt, moleſtâ illâ, longisſimèque petitâ propoſitionum ſerie exponatur? Quorſum duplicata illa ejuſdem argumenti repetitio, quâ neglectâ pronius eſſet, atque proclivius ſine tanto temporis diſpendio, ſine tanta laterum, ac pulmorum fatigatione difficultati propoſitę reſpondere? Quorſum aſperę illę, ac lutulentę diſtinctiones, barbaris vocabulis obſcuriſque conceptę, ſingulisque argumenti propoſitionibus applicatę, ſine quibus ſimplici quodam, nativoque ſtylo multò clariùs, & expeditiùs objecta difficultas enodaretur? Jam, cùm publicę Diſputationes rudi injuſtâque trutinâ a Populo examinentur, ſi quis fortè ſententiam, Adverſarii ratione convictus, mutare vellet, indoctus illicò, atque ineruditus ęſtimaretur. Quamobrem neminem unquam invenies, qui forti aliqua difficultate preſſus, ſuum ingenuè errorem fateri velit; ſed nequis erraſſe videatur, ad captioſas, fallaceſque cavillationes, ad contorta, & aculeata Sophismata, ad incognita, dura, ſubrancida, nihilque prorſus ſignificantia vocabula plerumque confugitur: Truncata ſępenumero ac mutila, interdum etiam omnino falſa, & commentitia Authorum loca proferuntur; quęque nobis objecta ſunt, variè, miriſque modis agitantur, contorquentur, diſtrahuntur, ac miserè dilaniantur, ut eos quibuscumque rationibus, quà jure, quàque injuria nobiſcum ſentire cogamus: Ad clamo-

res

res denique, ad jurgia, ad contumelias, ad maledicta proceditur, quò, ut præclare Caſsiodorus animadvertit, illi proſilire conſueverunt, qui ſe ſuperatos turpiter erubeſcunt. Adeout ferè ſemper, non de rei veritate, ſed de gloria, de nomine disputetur; & veritas ipſa, quam Democritus in in profundo demerſam eſſe dicebat, magis, magisque in profundum ſtultè, atque infeliciter deprimatur, & intolerandis verborum ſordibus, tricis, mendaciis, circuitionibus obſcuretur. Atque horum pleroſque pernicioſos ejus Dialecticæ effectus eſſe dicebat, quæ infauſto omine ab Ariſtotele inventa, & ab Arabibus Interpretibus cum reliqua ejus Philoſophia miſerè depravata, & corrupta, Philoſophiæ teterrimum monſtrum effecit; & horrendum, ac fatale portentum, ex puerilibus, ac tortuoſis captionum anfractibus, ex aculeatis, minutisque Concluſiuncularum præſtigiis, ex inanibus, intricatisque quæſtionibus, ex fædiſſima exoticorum verborum proluvie, ex ſalebroſis, ſpinoſisque difficultatum involucris, ex univerſa denique barbarie indignè, turpiterque concretum. Quod malum deinde latiſſimè ſerpens funeſta quadam contagione cæteras diſciplinas invaſit, & caſtiſſimum Theologiæ ſinum nefariis, & infandis Arabicæ, hoc eſt Mahumetanæ Sapientiæ, cum Divina Connubiis fædiſſimè conſtupravit. Quamobrem opportunè præclariſſimum Tertulliani dictum ſæpenumero repetebat, qui, Libro de *Præſcriptionibus*, *Miſerum*, inquit, *Ariſtotelem! Qui Dialecticam inſtituit artificem ſtruendi, ac deſtruendi verſipellem, in ſententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentionum, moleſtam etiam ſibi ipſi, omnia ita retractantem, quaſi nihil tractaſſet*. Maluit igitur Juvenis hic ſolertiſſimus ſe aſsiduè domeſticis, privatisque disputationibus cum diligentioribus Condiſcipulis exercere, in quibus propoſitæ quæſtiones maxima cum diſputantium utilitate amicè, ac familiariter expenduntur, enucleantur, ac penitus evolvuntur: In quibus ſimpliciori quadam, planiorique methodo veritas inveſtigatur, &, quoad patitur humanæ rationis infirmitas, invenitur: In quibus nulla lege prohibemur vulgarem aliquando, communemque adhibere ſermonem, quò mentis noſtræ cogitationes clarius, & expeditius explicentur, ac proferantur, nulla lege jubemur argumen-

menta ad inutiles, ac faſtidioſas Dialecticorum leges accommodare: In quibus nullæ plerunque contentiones, nullæ calumniæ, mendacia nulla, nullæ verborum ambages, nullæ cavillationes occurrunt: In quibus neminem pudet ſuam opinionem abjicere, ſi forte falſam eſse ex Adverſariorum argumentis deprehendat, cùm nemo intra domeſticos parietes de nomine, de fama, de gloria, ſed unicè de veritatis Inquiſitione laboret. Ex quibus denique, quidquid mali, & incommodi ex publicis Disputationibus oriri ſolet, nullo pacto timetur, quidquid poteſt emolumenti expectari, ad nos perſæpè redundare conſuevit. Atque in his tam utilibus ſtudiis, tam diuturnis, tam difficilibus, tam laborioſis, qua aſsiduitate, qua diligentia, qua animi contentione perſeveraverit, ex magnis ejus progreſsibus intelligi poteſt. Cùm enim decimumtertium ætatis annum ingreſſus vixdum probè legere, ac ſcribere didiciſſet, quòd antea muſicę arti fruſtra dediſſet operam, unde illi tantam celeritatem, & tam incredibilem curſum initum arbitramini, ut in divinarum rerum contemplationibus tam brevi tempore, tam longè progrederetur, niſi ex diuturnis vigiliis, ex aſsiduis exercitationibus, ex maximis, ac propemodum infinitis laboribus, ex voluptatum denique, ac deliciarum fuga, & contemptu? Non enim illum divinitùs infuſa ſapientia ad iſtum doctrinę gradum perduxerunt, ſed, quæ res cæteros remorari ſolent, non retardarunt. Non libido ab inſtituto curſu ad voluptatem aliquam revocavit; Non juvenilis ardor ad luxuriam; Non honeſtæ animi recreationes ad otium; Non publica Bacchanaliorum ſpectacula ad Choreas, ad Comœdias, ad ludos, ad comesſationes, ad ebrietatem: Non denique autumnales ſtudiorum feriæ ad venationum, aucupiorum, & piscationum delectationes. Patere igitur, Præſtantiſsime Juvenis, te debitis tuæ virtutis Inſignibus decorari; quodque hactenus effeciſti, in hiſce libris nocturna, diurnaque manu verſandis æqualiter, conſtanterque perſiſte. Equidem, quæ tua ſemper modeſtia fuit, te neceſsitate compulſum, ac repugnante animo hæç ornamenta ſuscipere agnoſco. Verùm illud cogitare debes, non omnes homines tam excelſo animo eſſe, ut ſolâ virtutis pulcritudine ad immenſos labores ſubeundos alliciantur, &

vexam,

veram, ſolidamque gloriam; quę eſt ampliſsimum virtutis præmium, contemnant. Quamobrem hac ſaltem de cauſa hæc inſignia libenter, ſtudioſèque recipito, ut cæteri Adoleſcentes, æqualium præmiorum expectatione, ad virtutis acquiſitionem vehementer, atque acriter accendantur.

F I N I S.

469236 A

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B. 17. 3. 130/17
BNCF
Digitized by Google

236